







B. N.  
309.

Xm. 195.









*Z*

DISPUTATIO  
DE  
**SIMPLICIUM**  
MEDICAMENTORUM  
FACULTATIBUS

I.

*Continens prolegomena quadam  
in Opus Galeni de eorundem medica-  
mentorum facultatibus:*

*Publici exercitij gratia in inclyta Ar-  
gentoratensium Universitate  
proposita*

*à*

**MELCHIORE SEBIZIO,**  
DOCTORE ET PROFESSORE  
Medicinæ, Comite Palatino Cæsa-  
reo, ac Reipubl. Archiatro:

*Respondente*

**JOHANNE Frey / SEBU-  
SIENSI.**

*16(1)90*

**ARGENTORATI,**  
Typis EBERHARDI WELPERI.

**M. DC. XLVI.**







IN  
LIBROS GALENI UNDECIM  
DE SIMPLICIUM MEDICAMEN-  
TORUM FACULTATIBUS

Præfatio.

THEISIS I.

**S**ummè utilis & necessaria illa est doctrina, quam Galenus libris de simplicium medicamentorum facultatibus nobis proponit.

II. Tradit enim qualitates & facultates illorum organorum, quibus sana corpora conservare, ægra pristinæ sanitati restituere, neutra decidentiæ, quò minus in morbos incident, præservare, & neutra cōvalescentiæ aliqua ex parte firmiora robustioraque reddere licet. Monstrat insuper, quo pacto singulorum simplicium vires & qualitates sint investigandæ.

III. Ideoq; cum denuò Auditores nostros disputando exercere decrevissemus, placuit, non totum quidem opus in theses resolvere, sed tantum quinque libros priores in manus sumere. Sex enim posteriores nudè & simpliciter solum qualitates & vires simplicium medicaminum nobis constituant oboculos: quid alijs statuerint, silentio in-

A 2 volvunt.

voluunt. Quinque vero priores non tantum ēnθētikoi sunt, expositorij, sed etiam πολεμικοὶ, & ἀνατκενασικοὶ: magnamque lucem ad plenius percipienda ea, qua posterioribus sex voluminibus tradita sunt, adferunt: quemadmodum Galenus l. 6. c. i. l. 7. c. i. l. 8. c. i. & l. 10. c. i. hujus Operis sollicitè moneret. Proinde hoc nomine instituto nostro perquam sunt accommodati.

IV. Antequam autem ad rem ipsam accedamus, libet προνπαρχέσθαι γνώσεως ἔνεκα primum Argumentum, sive Summam istius Operis, quod Galenus in fine libri primi undecim libris constare testatur, & hoc ipsum etiam haud obscurè ex principio librorum 6. 7. 8. & 10. colligitur, præmittemus. Deinde ἀράλυσι, tūm generalem totius Tractatus, tūm specialem singulorum librorum subjungemus. Tertio Causam impulsivam profere-  
mus in apertum, qua Galenum movit, ut Opus istud conscriberet. Quartò, rationem reddemus, cur id adēd prolixum sit, ut in justi voluminis magnitudinem excreverit?

Vltimò, cum de simplicium medicamentorum facultatibus inscribatur, quid per facultates intelligatur? quot earum sint genera? & quid per simplicia medicamenta inaudiatur? exponemus.

V. Argumentum igitur, sive Summam Operis quod attinet, patet illa ex l. 6. simpl. c. i. & l. 10. simpl. c. i. quod nimirūm Galeno propositum sit, agere hic de simplicium pharmacorum facultatibus, tūm in genere, tūm in specie,

VI. In

VI. In genere, quo scil. modo, quare ratione simplicium medicaminum qualitates & facultates sint investigandae? In specie, quæ singulorum simplicium, sive à plantis, sive ab animalibus, sive à fossilibus mineralibusq; corporibus, sive à mari, alijsque aquis petita sint, qualitates sint atque virtutes?

VII. Generalis doctrina continetur libris quinque prioribus. Specialis posterioribus sex.

VIII. In generali præcipitur de modo & ratione explorandarum facultatum medicamentorum simplicium. In speciali de singulorum qualitatibus & facultatibus disseritur.

IX. Generalis partim κατασκευασιù est, qua vera indagandi via docetur: partim ἀνασκευασιù, qua aliorum errores, modique vitiosi, quibus simplicium vires explorare sunt conati, refutantur.

X. Specialis tota est κατασκευασιù, qua negat aliorum errores recensentur, neque damnantur: sed quid de singulorum simplicium qualitatibus, viribus atque effectis verum sit, quidq; statuendum, exponit.

XI. Generalis, ut ad Divisionem propereamus, majoris perspicuitatis gratia subdividi potest in πρωταιδείαν, præliminarem quandam informationem, & παραδείαν ipsam, h. e. doctrinam eorum, quæ hac in parte Galeno sunt proposita.

XII. Πρωταιδεία habetur capite primo libri primi. Παραδεία quinq; prioribus libris absolvitur.

XIII. Specialis traditur sex libris posterioribus, & secari potest in membra quatuor.

A 3 XIV. Pri-

XIV. Primum continetur libris 6. 7. & 8. in quibus de simplicium facultatibus, quae à Vegetabilibus, sive à Plantis, Arboribus scil. Fruticibus, Suffruticibus, & Herbis, earumq; partibus, succis & liquoribus desumuntur, sermo habetur,

XV. Secundum perficitur libro 9. in quo de Terrarum & mineralium fossiliumq; corporum potestatibus docetur.

XVI. Tertium libro decimo comprehenditur: in quo de facultatibus simplicium remediorum, quae ex animalibus hauriuntur, tractatur.

XVII. Quartum libro undecimo extat: in quo partim ea adiiciuntur, quae de medicamentis ab animalibus peritis adhuc sunt reliqua: partim vero illa explicantur, quae in mari & aquis alijs proveniunt.

XVIII. Sequitur ἀνάλυσις singulorum librorum specialis.

XIX. Primus autem liber secari potest in partes duas.

XX. In prima πραγματείᾳ continetur totius Operis: quae agit brevissimè de utilitate hujus doctrinæ: de verborum & terminorum quorundam significatione, quid scil. sit medicamentum? quid alimentum? quid medicamentum simplex? quid compositum? quid facultas? quid sit esse ἐνέργεια, actu? quid δύναμις, potestate? & quod quis se in libro 3. de Temperamentis prius exercere debeat, quam ad hos libros evolvendos accedat. In illo enim explicata esse, quæ natura, universim, de medis-

medicamentis nōsse conveniat: nec novi aliquid hīc proferendum: verūm quæ illuc scripta sunt yevixē, generatim, ea hīc idixās, speciatim elaboranda.

Cap. I.

XXI. In secunda παράδοσις, sive ἐπαντίας, fit initium. Potest autem hæc pars iterūm in tria membra subdividi.

XXII. Primum habetur capit. 2. & 3. in quib. exponitur, quæ distinctiones adhibendæ sint, ut medicamentorum facultates rectè inveniantur.

XXIII. Secundum reliquias absolvitur capitulo, usque ad partem secundam capitūlū ultimi, quod est 38. In illis vero exemplo Aquæ & Aceti declaratur, quo pacto medicamentorum facultates sint indagandæ: eademque opera redarguuntur alijs, qui perperām vires remediorum investigarunt. Et de Aqua quidē tractatur à cap. 4. usq; ad cap. 18. De Aceto autē usq; ad secundā partē capitūlū ultimi.

XXIV. Tertium extat in secunda parte capitūlū ultimi, in qua ἐπιλογον libro primo Galenus imponit: & transitum sibi parat ad libros insequentes tres: quidque in illis docere velit, palam facit: quod scil. in secundo duob. prioribus Aquæ & Aceti exemplis addere velit tertium, Olei nimirū & rosacei, inibique pravos detegere ratiocinandi modos, quib. alijs, iisque non pauci Medici, in indagandis simplicium facultatibus usi sunt, & non tantū se ipsos fefellerunt, sed etiam secum alios pertraxerunt in errores. In tertio quæstiones logicas, quæ universam de simplicibus medica-

A 4 mini-

minibus dīegōdōv, enarrationem antecedunt, tradare. In quarto denique omnium facultates dīogīzīv, determinare: quas statim ab initio edocuiset, nisi juniorum Medicorum propè omnium volumina plena fuissent paralogismis atque erroribus, quos æquum erat prius extergere, & ex animis dissentium eradicare, ne quid veritati obfisteret.

**X X V.** Nam quemadmodum juxta Hippocratis & Platonis præceptum impura corpora quanto plus nutries, tanto magis lades: sic impunis animis, si nutrientes offeras sermones, non modo nihil proderis, verum etiam magnopere nocebis.

**X X VI.** Secundus liber dispescitur in partes duas. In prima Galenus ostendit, unde errandi occasionem veteres Medici sumpserint? pravasque ipsorum ratiocinationes confutat, capit. 1. 2. 3. & 4.

In secunda Olei & Rosacei exemplo veram monstrat rationem inveniendi medicamentorum simplicium facultates: capitibus libri reliquis.

**X X V I I.** Tertius liber quid doceat, ex cap. ult. l. 1. cap. 1. l. 3. cap. 1. l. 4. & cap. 1. l. 6. manifestum est. Nactus enim auditorem animo parum, qui que veras assequiri rationes possit, logicas questiones de actione simplicium medicamentorum absolutus, que quasi principia sunt totius tractatus de ipsorum facultate. Partes habet duas.

**X X V I I I.** In prima, quæ primo finitur capite, Galenus protestatur primū, se nihil hoc in Opere dicturum esse, quod non utile sit futurum ad curationem morborum. Deinde causam prolixita-

lxitatis suæ exponit. Tùm quid declaratum sit  
hactenus, quidque deinceps declarandum, in-  
dicat.

XXIX. In secunda vocum quarundam signi-  
ficata exponit: quomodo facultates simplicium  
dijudicandæ sint, edifferit: & de dissimilariū  
quorundam medicamentorum, itemq; de deleterio-  
rum, putrefacientium, erodentium & purgantium  
actione quædam proponit: adeo ut pars hæc iterum  
in tria subdividi possit membra.

XXX. Quartus liber in partes tribuitur duas.  
Prima latet in capite 1. in quo primū repetit  
paucissimis, quid libro præcedenti actum. Deinde  
quibus de rebus deinceps agendum sit, patefacit: ni-  
mirūm de tenuib; crassib; emollientib; relaxanti-  
bus, rarefacientib; condensantib; emplasticis  
ac digerentib; pharmacis: itemq; de saporibus &  
odoribus, quatenus aliquid ad cognoscendas sim-  
plicium facultates conferunt. Docet insuper, quo  
discrimine de saporibus in fine libri primi & hoc in  
libro tractetur.

XXXI. Secunda in reliquis reperitur capi-  
tibus: habetque iterum membra quatuor.

XXXII. Primum ostendit, quomodo frigi-  
dum corporibus nostris mordax dicitur, & quomo-  
do differat ab ijs, que calore mordicant: cap. 2.

XXXIII. Secundum de medicamentis te-  
nuium crassarumq; partium, & de emplasticis ver-  
ba facit: cap. 3. 4. 5. & 6.

XXXIV. Tertium de saporibus eorumque

A 5 Gau-

causis & temperamento discursum habet: à cap. 7.  
usq; ad cap. 22.

XXXV. Quartum quid odores ad invenien-  
das simplicium vires possint, enodat: cap. 22. & 23.

XXXVI. Quintus liber in duas partes re-  
solvi potest.

XXXVII. Prima continetur capite primo, in  
quo instituitur recapitulatio eorum, quæ dicta  
sunt in præcedentibus: quoniam velut hypotheses  
sunt ad ea, quæ deinceps docenda.

XXXVIII. Secunda reliquis perficitur ca-  
pitibus. Potest autem rursus in quinque membra  
dispesci.

XXXIX. Primum extat cap. 2. in quo Gale-  
nus facultates medicamentorum recenset, earumq;  
usum monstrat. Enumerat autem non solum facul-  
tates primas, quæ à primis 4. qualitatibus prodeunt:  
sed etiam secundas, quæ ab effectis suis nomen ha-  
bent: itemq;, tertias, quæ à partibus, quibus me-  
dentur, cognominantur.

XL. Secundum sese extendit usq; ad caput  
24. agitq; de natura & qualitatibus medicamento-  
rum suppurantium, emollientium, indurantium,  
rendentium, laxantium, aperientium, urinam  
cientium, rarefacientium, infarcentium, sive em-  
plasticorum, crustas inducentium, septicorum,  
cicatricem inducentium, carnem generantium, at-  
trahentium, repellentium, alexiteriorum, sive  
alexipharmacorum, anodynorum, sive paregori-  
corum, stupefacentium, purgantium, lac gene-  
rantium,

rantium, menses moventium, semen provocantium.

XLI. Tertium capitib. 24. & 25. continetur. In illo autem facultates medicamentorum enumerat, quae à partibus corporis cognominantur. In hoc verò de inani nominum usurpatione, quam Medici recentiores, & inter eos maxime Methodici induxerunt, verba facit.

XLII. Quartum est in capite 26. in quo ratio indigitatur contrarias facultates dijudicandi.

XLIII. Quintum habetur capite ultimo: ubi gradus, sive ordines calidorum, frigidorum, humidorum, & siccorum pharmacorum proponuntur. Non enim omnia medicamina equaliter vel calida, vel frigida, vel humida, vel sicca sunt, sed alia magis, alia minus talia.

XLIV. Sextus liber in tres partes dividitur. In prima, quam Galenus capite 1. complectitur, duplex habetur propositio: Una μελαθατικὴ, quae significat, quibus de rebus præcedentibus quinque libris actum; altera χαλασθατικὴ, ostendens, de quibus sex sequentibus tractandum sit.

XLV. Ait autem, se primis 5. libris explicuisse generalem doctrinam de simplicium medicamentorum facultatibus. Primi quidem duobus pravos indicasse ratiocinationum modos, quib. plerique neoterici Medici usi gravissimè errarunt. Intertius velut principia quedam totius doctrinae tradidisse. In quarto de saporibus & odoribus verba fecisse,

cisse, ut, quomodo ex illis simplicium vires cognosci possint, appareret. Denique in sexto ad reliquum facultatum genus perrexisse, quod ab effectis & operibus cognominatur, ibique etiam cuiusque naturam edocuisse. Sequentibus vero sex ad specialem tractationem se accessurum: & singulorum simplicium facultates expositurum, quemadmodum factum à sel. 1. & 2. ubi vires & qualitates Aquæ, Aceti & Olei declarantur: hoc tamen cum discrimine, quod Aqua, Acetum, & Oleum tantum velut exempla quædam proposita fuerint, adversus illos, qui perperam de facultatibus eorum judicârunt: libris vero 6. posterioribus singulorum simplicium potestates & qualitates breviter, sine refutatione aliorum, declarentur.

XLVI. In secunda, quæ quinquimembris est. Primum priorum quinque librorum necessitatem & utilitatem monstrat: quod scil. posteriorum sex librorum doctrina sine cognitione priorum quinq; non solum obscura sit futura, sed etiam demonstracionis fide destituta. Ostensum enim in precedentibus, faciendum medicamentorum facultatis periculum, primum in natura temperata: 2. in intemperata. 3. in morbis simplicibus. In quarto insuper significatum, quomodo ex saporibus & odoribus simplicium facultates sint exploranda? Proin, si quis aut oscitanter contenta quinque priorum librorum legat, aut illorum lectionem prorsùs intermittat, statimq; ad 6. posteriores se conferat, festinans, ut intra breve temporis spatiū facultatum istarum peri-

peritiam sibi comparet, haud sanè exactam eorum  
notitiam acquiret.

XLVII. Deinde ordinem, quo de simplicium  
viribus docere velit, patescit. Nam cùm medica-  
menta vel à plantis, earumque partibus & succis,  
vel à metallicis corporibus, vel ab animalibus desu-  
mantur: primum locum tribuet plantis: tūm quia  
genus earum est numerosissimum: tūm quia virium  
robur præcellentissimum. Secundum corporibus me-  
tallicis, quæ μεταλλεύοντα nominat. Tertium ani-  
malibus & eorum partibus, & quæ in iis continen-  
tur.

XLVIII. Tertiò ordinem, quem in explicatio-  
ne facultatum, quæ plantis insunt, observaturus,  
revelat: quod scil. seriem alphabeticam secuturus  
sit, & primum de illis plantis locuturus, quarum  
nomina à litera a. incipiunt: deinde de iis, quæ  
initium suæ appellationis habent à litera b. & sic  
deinceps. Hoc enim ordine etiam Pamphilum de  
stirpibus egisse monet: tametsi is ad fabulas aniles  
& præstigiaturas quasdam deliras Ægyptias, non-  
nullasq; incantationes, quas, cùm homines herbas  
colligerent, admurmurare solebant, se converterit.

XLIX. Quartò quomodo de plantis differere  
velit, eloquitur: quod scil. neque adscribere velit  
nomina herbarum peregrina, Ægyptiaca, scil. aut  
Babylonica: cùm hæc legi possint apud Authores  
suos: neque etiam dictare facultates magicas, su-  
perstitiosas, & à Medicina alienas: sed eas, quæ  
sunt utiles, & ad curationem affectuum necessariae.

Moni-

Monitum enim esse Hippocratis in limine aphorismorum, vitam esse brevem, artem contrà longam. Ideoq; operam dandam, ut viam ingrediamur compendiosissimam, nimirūm per ea, quæ sunt in arte quam maxime proficia.

L. Quintò nos informat, quinam autores de medicā materia legendi sint, qui fugiendi? Fugiendos autem censet Xenocratem & Pamphilum. Illum enim cùm in aliis supra modum ἀργεῖον, curiosum, tūm à γονέα, præstigiatura, non alienum fuisse. Hunc verò coacervasse Grammatici instar nominum cumulum: herbasque, de quib. scripsit, neq; vidisse, neq; viros earum explorasse: sed fidem duntaxat adhibuisse iis, qui ante se de illis egerunt. Addidisse insuper ἐπωδὰς, incantationes, σπονδὰς, libationes, Θυμιάματα, suffimenta, quæ in legēdis stirpib. erāt usitata: deniq; γονέας καὶ μαγειας ληρῶδεις, præstigiaturas & magicas artes.

Legendum verò pro ceteris esse Dioscoridem, qui omnem materiam medicinalem, à vegetabilibus, animalibus, & fossilibus corporibus petitam, ita exposuit, ut Majoribus & Antecessoribus suis palmam eripuerit.

Versanda quoque scripta Heraclidis Tarentini, Cratevæ, & Manteiae: qui tamen non, ut Dioscorides, in unum colegerunt omnia: sed scorsim vel de præparatione, aut probatione medicamentum, vel de purgantibus, propotismis, aut clysmatis solū, vel de una, aut altera tantum planta aliquid literarum monumentis consignarunt.

Evol-

Evolvendos deniq; juniorum esse libros practicos, in quib. de curatione morborum egerunt: neq; antiquiorum sfernendos esse Tractatus de eodem shemate, Hippocratis, Euriphontis, Dieuchæ, Dioclis, Plistonici, Praxagoræ, Herophili, Rusi Ephesij &c.

L I. Tertia libri pars, que est ἐργασία, reliquis capitibus absolvitur. In illis autem inchoantur facultates medicamentorum speciales, quorum nomenclature initium habent à literis α. β. γ. δ. ε. ζ. η. θ. & ι. continetq; multarum stirpium radices, flores, semina, fructus, succos, gummi &c.

L II. Liber septimus conflatus est ex partibus duabus. Prima continetur capite primo, in quo denuò utilitatem quinque priorum librorum Galenus inculcat, & incommoda recenset, quæ secutura sint, si eorum lectio negligatur. Deinde in eodem pollicetur, quod hoc septimo, & reliquis quatuor aliarum plantarum facultates eo ordine docere velit, qui in literarum serie, à quibus incipiunt, spectatur. Cum igitur libro præcedenti progressus sit usque ad literam I. inclusivè, hoc initium faciet ab illis, quarum nomina à litera x. principium habent. Tertio dicit, tametsi medicamenta simplicia sint vel calida, vel frigida, vel humida, vel sicca, tamen equaliter talia non esse, sed majoris minoris queratione inter se differre. Quantum autem à mediocritate recesserint, id præcisè & exactè definiri non posse: libro tamen quarto qualitates certis quibusdam limitibus, sive gradibus

dibus atque ordinibus esse à se determinatas.

LIII. Secunda pars reliquis continetur capitibus, in quib. de herbarum facultatibus, quarum nomina incipiunt à literis u. x. & μ. præcipit. Sunt autem illarum radices, folia, ligna, flores, cortices, semina, fructus, gummi &c.

LIV. Liber octavus, perinde ut præcedens, præfatiunculam habet, & continuationem doctrinæ de facultatibus vegetabilium.

LV. In præfatiuncula, quæ primo legitur capite, primum pollicetur Galenus, quod hoc libro facultates reliquarum stirpium, quæ adhuc restant, adjicere velit: non illas quidem omnes, sed eas solum, quæ à qualitatibus & passim, effectricibus proficiuntur. Opera vero plantarum, quæ à φ. θλυπής & στίας prodeunt, alibi seorsim se explanaturum. Deinde, in memoriam nobis denuo revocat, quod qualitatis cuiusq; simplicis quatuor constituerit gradus, & cuiuslibet gradus rursus certos posuerit ordines: ut quomodo simplicia majoris minorisque ratione in qualitatibus inter se discrepant, constaret. Tertio, quod modum & viam monstrarit, quomodo facultates sint indagandæ? Quartò, utilitatem & necessitatem quinq; priorum librorum iterum nobis commendat, & quid eventurum, si doctrina inibi tradita flocci pendatur, indicat.

LVI. In ἐργασίᾳ potestates ceterarum plantarum, quarum nomina à literis v. ξ. o. π. ε. σ. τ. υ. φ. χ. ψ. & ω. incipiunt, explicat. Sunt autem itidem plantarum folia, radices, flores, fructus, semina, succi, gummi, lachryma &c.

LVII. Li-

LVII. Liber nonus partibus constat duabus.  
Prima extat capite primo: in quo primū indicat, quod libris 6. 7. & 8. facultates plantarum sint declaratae: reliquum esse, ut hoc 9. de fossilibus & metallicis agatur corporibus: & tandem libro 10. & 11. ad animalia progressus fiat. Deinde subjungit duo problemata, ad insequentium meliorēm intelligentiam consequēdam necessaria. Vnum est, an φάρμακα dūloφυū, sponte nascentia, quæ combusta sunt, calidiora sint, an frigidiora? Alterum, an adstringentia, qualia sunt austera & acerba, facultatem habeant acrum facultati evanescēti.

LVIII. Secunda ad rem ipsam accedit, & vires terrarum, eorumque corporum, quæ è terræ visceribus effodiuntur, enarrat: adeò ut hujus secunde partis rursus constitui possint membra 3.

LIX. Primū de terræ significationibus, & terræ passim nuncupatæ differentiis, ac lotione, & in specie de terra Samia verba facit.

LX. Secundum de lapidibus pretiosis pariter & ignobilibus orationem instituit.

LXI. Tertium de metallicis remedii, quorum generatio in metallis, sponte, aut per fornacem facta, & quæ homines ex his ipsis preparant, secundum seriem literarum græcarum sermones habet.

LXII. Liber decimus prologum continet & tractationis continuationem.

LXIII. Prologus est quadrimembris.

LXIV. In primo Galenus iterum necessita-

rem & utilitatem lectionis quinq<sub>z</sub> priorum librum nobis injungit.

LXV. In secundo totius tractatus summam repetit: quod scil. ostensum, medicamenta, quæ primis 4. qualitatibus operantur, harum missione fieri acria, amara, salsa, acida, acerba, austera, dulcia: præterea abstergentia, repellentia, attrahentia, emollientia, urentia, septica, escharotica. Demonstratum, quomodo n̄ καθόλε δύναμις, facultas universalis, unica inveniatur experientia, non ea vulgaris, & quacunq<sub>z</sub>, sed quæ cum certis quibusdam distinctionibus, & limitationibus, de quib. dictū, adhibetur. Inventa autem hac facultate, nulla præterea opus esse experientia ad actiones particulares, nisi ad continuationem eorum, quæ ratio invenit. Nunc eadem inveniendi & judicandi methodo utendum in animalibus. Nam l. 6. 7. & 8. materia medicinalis, quæ est plantarum, exposita est, nō quidem omnis, quæ toto terrarum orbe reperitur: sed quantum illius experiri Galeno fuit concessum. Libro 9. terrea & lapidea corpora enarrata sunt. Sequitur materia de animalibus, & iis medicaminibus, quæ in mari & aquis aliis nascuntur, quæ neque planta sunt, neque terræ, neq<sub>z</sub> lapides, neque animalia. Ideoq<sub>z</sub> de illis partim hoc decimo, partim undecimo libro docendum, literarum græcarum servato ordine, qui etiā superioribus libris observatus. Quemadmodum verò in plantarum materia etiam de χυμοῖς, succis, qui ex ipsis fiunt, dissertatum fuit: ita nunc quoque non solum solidarum in ani-

animalibus partium facultas explicanda, verum etiam eorum, quae in ipsis continentur, ut sibi sanguis, fel, stercus, urina &c.

L XVI. In tertio monet, haud ita multa particularia eorum, quae de materia medica edita sunt à Medicis, ignota sibi fuisse: sed operam tamen se dedisse, ut ipse facultates illorum per experientiam cognosceret. Quod si quid ignorasset id plane subtilius, nihilq; de eo literarum monumentis consignasse. Licet autem id potuerit discere ex aliorum scriptis, id se tamen minimè fecisse, eò quod perspectum haberet, nonnullos multa perperam scripsisse. In praesenti vero materia complura esse tūm partium, tūm liquorum in animalibus contentorum facietur ingenue, quorum nullius ejusmodi fecerit periculum, cuiusmodi quidam scriptum reliquerunt. Quædam enim illorum abominanda detestandaque sunt, quædam etiam legibus vetita.

L XVII. In quarto in Xenocratem, & quosdam alios invehitur, tūm quod verba fecerint de facultatibus partium animaliū, quas ipsi tamen nunquam sunt experti: tūm quod medicamenta ridicula, fœda, abominanda, detestanda, legibusq; prohibita, quorum aliquot exempla recenset, hominibus proposuerint, & quidem ex vanis tantum & liorum Scriptorum monumentis: tradiderintque etiam remedia ab ejusmodi animalibus petita, quæ tamen & rara, & peregrina, & omnino talia sunt, quæ facile haberi nequeunt. Pollicetur insuper, se istorum medicaminum, ne si abundè illa expertus

B 2 esset,

esset, mentionem facturum: uti neg<sub>z</sub>, aliorum, quæ  
magica sunt & superstitionis, ut sunt φιλία, pocula  
amatoria, ἀγάγια, quæ faciunt, ut quis ex loco in  
locum transferatur, ὀνειρόπομπα, quæ somnia in-  
ducunt, & μίσθρα, quæ odium & inimicitiam pa-  
riunt? Silentio quoque tectum medicamenta le-  
thalia, quæ Xenocrates vocare solebat παθωτοιά;  
insuper & illa, quæ gravidis abortū adferunt, quæq;  
mulieres steriles reddunt, & similia alia. Contrà de  
illis se acturum promittit, quæ humano generi sunt  
utilia, & quorum periculum fecit. Pleraque enim  
Xenocratis pharmaca vel non præstant, quod præ-  
stare docuit: vel si præstant, vite tamen mortalium  
noxia sunt. Ideoque summoperè Galenus mira-  
tur, qua cogitatione, quove consilio motus Xeno-  
crates & alij ea diu vulgārint. Nam quæ viventibus  
dedecori sunt & ignominiae, quo pacto sibi post mor-  
tem honori & gloriae esse sperārunt? Si Magistra-  
rum gessissent, habuissentque vitæ & necis potesta-  
tem, & talia experti essent in hominibus ad mor-  
tem condemnatis, utique nil grave commisissent.  
Verùm cùm privati solum fuerint, & ejusmodi po-  
testate caruerint, pessimè se gesserunt. Nam si ta-  
lia medicamenta experti non sunt, temerè publici  
iuris fecerunt, quod ignorārunt. Si experti, homi-  
num omnium imp̄issimi fuerint, quod hominibus  
innocentibus, & nonnunquam etiam καλοῖς τε καὶ  
ἀγαθοῖς, honestis ac probis, ὀλέθρια φάρμακα, exitiosa  
medicamina, exhibuerint. Nam qui ea hominibus  
revelant & scribunt, non minùs, quam qui eos per  
talia

talia medicamenta necant, imò multe magis, odio digni sunt. Minor enim injuria est, & scelus, quod solus perpetras, quam quòd cum multis. Deinde, quia cum eo, qui talibus medicamentis hominibus noxam intulit, etiam pravorum theorematum experientia moritur. At eorum, qui ea publici juris fecerunt, malitia est immortalis, pravis hominibus arma subministrans.

LXVIII. Secunda libri pars ἐγγασία est. Agit enim de sanguine diversorum animalium, lacte, sero lactis, caseo, butyro, coagulo, felle, sudore, urina, stercore vario, & de hominum oviumque sordibus.

LXIX. Liber undecimus & ultimus absolvit ea, quae de animalibus sunt reliqua: additq; quae in mari, paludibus, & aliis aquis proveniunt.

Partes illius sunt due.

LXX. Prima est quoddam προοίμιον, quo significatur, quam ob causam initium à Carnibus facere velit Galenus: quòd scil. plurimis communis sit animalibus. Omnibus enim sanguineis inest, etiā visceribus sua est caro, quae ταρέψυχυα vocatur: ramet si ea sola carnis nomine veniat, quae in musculis cernitur. Huc accedit, quòd quicquid ex animalibus comeditur, ferè carnosum sit.

LXXI. Secunda ἐγγασία est: quae bimembribus.

LXXII. In primo membro explicantur tūm animalia quædam integra: tūm nonnullæ eorum partes: tūm quæ in partib. consistunt: tūm opera quædam animalium. Consistunt autem in illis

B 3 duo:

duo, excrements & alimenta: quae tamen hic ut medicamenta considerantur.

LXXIII. In secundo declarantur ea, quae in aquis, aut ex aquis nascuntur, nec tamen animalia sunt. De his enim jam actum. Hujus generis sunt Adarcion, Alcyonia, Sal, Nitrum, Halosanthos, Sputum Salis, Bitumen, Spongia, Muria, sive Salsugo.

LXXIV. Hactenùs de àvaruσει tūm generali totius Operis, tūm speciali singulorum illius librorum.

LXXV. Quæritur jam, quænam causa Galenum impulerit, quod præsens Opus confecerit? Respondebat Galenus ipse l. 3. cap. 1. amicos suos in causa fuisse, ut simplicium medicamentorum vires & qualitates explicaret: procul dubio motos duabus illis rationibus, quas Galenus l. 1. c. 1. hujus Operis ponit: I. quia composita medicamina facere nemini licet, nisi cognitas habeat simplicium facultates. II. quia inventis èundis, opportunè, uti nemmo potest, nisi qualitates eorum & virtutes sint perspectæ.

LXXVI. Quæritur secundò, cur Opus istud adeò prolixum sit, ut justi voluminis magnitudinem æquet? iterum Galenus ipse eodem in loco, scil. c. 1. l. 3. responsum dat, causam prolixitatis fuisse, pravam juniorum Medicorum de facultatibus medicamentorum simplicium doctrinam. Ut igitur errores illorum detegerentur, & ut præcaveretur, ne Tyrones Medicinæ, in dialecticis præceptionibus minus exercitati, ignari etiam, qua ratione sophismata perpet-

perperam docentium solvi debeant, necesse erat, ut refutando falsa, & docendo vera, quae erant plura, Opus in justam molem excresceret.

LXXVII. Quæritur tertio, quid per facultates intelligatur, & quot earum sint genera? Respondemus, per facultatem nil intelligi aliud, quam vim atque potentiam, sive principium & causam, per quam quodvis simplex aptum est atque idoneum, ut hanc, vel illam actionem edat.

LXXVIII. Proponuntur autem genera, sive differentiae facultatum medicamentorum à variis auctoribus varie.

LXXIX. Nos petitis fundamentis ex Galeni libro 5. simpl. c. 2. 18. & 24. nec non ex l. 8. simpl. c. 1. duo genera statuimus: manifestum atque occultum: quoniam etiam duplices sunt qualitates, à quibus facultates proficiuntur: manifestæ, quæ in sensu elementis primis: & occultæ, quæ à misti forma producent.

LXXX. Manifestæ & ratione, & sensu, & experientia quotidianaque observatione cognoscuntur: occultæ sola explorantur experientia.

LXXXI. In investigatione tamen manifestarum plus fidendum sensui & experientiae, quam rationi, quæ sèpè fallit, & fallitur: uti Galenus exemplo multorum Medicorum passim in Operे de simpl. med. facultatibus planum facit: & propterea etiam graviter aliquoties in eos invehitur, quod spretis & neglectis sensibus ratione indagare

simplicium qualitates & vires ausi fuerint.

LXXXII. Manifestæ facultates sunt tres: quædam primæ, quæ dependent immediatè à qualitatibus elementorum primis: quædam secundæ, quæ sequuntur immediate primas: & primas tamen etiam authores habent: quædam tertiae, quæ de secundis dependent.

LXXXIII. Primæ manifestæ facultates velsim unices sunt, vel compositæ.

LXXXIV. Simplices sunt quatuor: vis calefaciendi, vis refrigerandi, vis humectandi, & vis siccandi.

LXXXV. Compositæ itidem quatuor: facultas calefaciendi & siccandi: facultas calefaciendi & humectandi: facultas refrigerandi & humectandi: & facultas refrigerandi ac siccandi.

LXXXVI. Nam si in aliquo simplici una tantum qualitas exuperet & predominetur, simplex illi inesse facultas dicitur. Sin duæ excellant, reliquasq; vincant, duab. instructum facultatibus censetur.

LXXXVII. Secundæ manifestæ facultates ita sunt comparatae, ut aliæ calorem, alia frigus, aliæ humiditatem, aliæ siccitatem consequantur.

LXXXVIII. Hujus ordinis sunt facultates alterandi, aperiendi, rarefaciendi, attrahendi, fundendi, sive liquandi & dissolvendi, digerendi, erodendi, & urendi, quæ calorem habent causam.

Adhæc facultates incrassandi, occludendi, condensandi, repellendi, coagulandi, adstringendi, exacerbandi, quæ frigus pro authore agnoscent.

Tum

Tum facultates emolliendi, laxandi, & laevigandi, quae ab humiditate oriuntur.

Denique facultates indurandi, tendendi, & absorbendi, quae ad siccitatem referuntur.

LXXXIX. Facultas anodyna, sive paregorica, moderati est caloris seboles, qui doloris causam reddit equabilem, eamq; temperat, demulcet, lenit & mitigat.

XC. Facultas abstensoria inest tum simplicibus calidis, v. g. Veronicae, Betonicae, Agrimonie, Meliti, Myrrhae, Terebinthinae, Absinthio, Centaurio minori, Gentiane &c. tum frigidis, ut Cichorio, Rosis, Hordeo, Farinæ fabarum &c. Plura tamen abstergentia calida, quam frigida reperiuntur.

XCI. Facultas emplastica, quae poros & meatus infarcit, ac ebid facultati abstensoriae opponitur, quae lento glutinosoq; ductuum humores detergit & expurgat, similiter ratione subjectorum variat. Quædam enim è puritas in frigida sunt, crassa atq; terrena: ut Gypsum, Lithargyrus chrysitus, & argyritis, Cerussa, Tutia, &c. Quædam etiam adstringunt: ut Corallia, Lapis hematites, Terra Lemnia, Bolus Armena, sanguis Draconis &c. Quædam deniq; humida sunt & glutinosa: ut ovi albumen, farina Tritici, Amylum &c.

XCII. Tertiæ manifestæ qualitates producent à secundis. Hujus classis sunt, facultas suppurandi, carnem gignendi, vulnera glutinandi, sanguinem sistendi, cicatricem iudicandi, crustas generandi, urinam, menses, & hemorrhoides cien-

di, vomitum proritandi, aluum laxandi, sudores evocandi, lac & semen producendi, calculum frangendi, arenulas aliasque sordes exturbandi, vermes necandi & expellendi, mucum & aquas per nares & os evacuandi, tussim excitandi, & materias thoraci bronchijsq; pulmonum inharentes per asperram arteriam ejciendi, Venerem stimulandi, &c.

**XCIII.** Quicquid autem facultates istae praestant, ope & auxilio primarum secundarumque tactilium qualatum efficiunt.

**XCIV.** Occultæ, cæcæ, & abditæ facultates sunt duplices: alteratrices & evacuatrices.

**XCV.** Alteratrices rursus geminæ. Vel enim nos alterant ad conservationem, vel ad corruptionem, aut ad omnimodum interitum.

**XCVI.** Ad conservationem nos alterant alexipharmacæ, alexiteria, alexicaca, sive antidota vocata, quæ nos liberant ab ijs affectibus, quos venenata plantæ, virulenta animalia, & maligna fossilia metallicaque corpora nobis impresserunt. Huc pertinent, quæ partibus sunt appropriata, amica, & familiaria, & propterea ab ijs nomina sua sortita, ιεφαλικὰ, καρδιακὰ, ὑπαλικὰ, σπληνικὰ, σομαχικὰ, νεφρικὰ, ύσερικὰ &c.

**XCVII.** Ad corruptionem nos alterant, si instantè usurpentur, ναρκωτικὰ, stupefacentia, καὶ ὑπνωτικὰ, soporifera pharmaca.

**XCVIII.** Ad omnimodum interitum nos alterant venena omnia, & que à Galeno φθορῶτα καὶ ιοβόλα appellantur, fætum necantia.

**XCIX.** Va-

**XCIX.** Vacuatrices triplicis sunt classis. In prima reponuntur medicamenta naθaplinā, quæ certos humores totius substantiæ proprietate expurgant, χολαγωγā, φλεγμαγωγā, μελαγωγā, οδραγωγā vocata.

In secunda ēμεlinā, quæ non laxando, & tonum ventriculi dissolvendo, aut acri mordaci qualitate illum irritando, sed abdito modo noxios humores per gulam & os ejiciunt.

In tertia ēπισπασικā, quæ virtute propriatela, spicula, spinas, globulos, peregrina corpora aliae evellunt.

C. Supereſt, ut quid per ſimplicia medicamenta hīc intelligatur, ſignificemus.

Inaudiuntur autem simplicia, non quod omnis compositionis omninoſint expertia. Constituuntur enim ex materia & forma, ut corpora alia. Nec quod ex alijs corporiōbus ſe prioribus & simplicioribus non conſtent. Sunt enim corpora mixta, ac ob id ex elementis conſlata. Sed simplicia dicuntur, quia talia ſunt, qualia à Natura producta: nihilq; ex industria artis pharmaceuticalē assumferunt.

C1. Illa tamen simplicia, quæ partium ſunt diſimilariū, & proin vel diversis, vel contrarijs planētūm qualitatibus, tūm facultatibus praedita ſunt, quorum cerre ingens eſt numerus, licet e atenuis ſint simplicia, quatenus nihil iſpis arte eſt admixtum, revera tamen & naturā composita eſſe Galenus l. 3. ſimpl. c. 15. & l. 5. c. 1. ſcribit. Reperiri enim simplicia, quæ facultatem habent va- cuandi

cuandi & sistendi : extenuandi & incrassandi : rafaciendi & condensandi : refrigerandi & calefaciendi &c.

CII. Sensu igitur, inquit Gal. l. 3. simpl. c. 14. simplicia sunt, naturā autem composita.



## COROLLARIA.

### I.

**A**N calor noster nativus virium aliquid simplicibus conferat medicamentis ? Calor quidem noster medicamenta in actum dedit, ut agere possint id, ad quod agendum Natura illa destinavit. Verum nihil virium ijs communicat. Primum, quia nihil ultra vires suas operatur. At sic operaretur calor noster, si omnibus medicamentis virium aliquid largiretur. Sunt quippe multi medicamentorum effectus, qui non à calore, sed ab alijs qualitatibus, imò & à forma proficiuntur. Multi quoque sunt, qui caloris naturae plane repugnant. Deinde, quia quodvis simplex congenitas sibi vires habet. Ideoque illae non ab externo principio, calore nostro, sed interno, temperamento scilicet forma, prodeunt.

### II.

Quid sit deduci in actum, sive, ut barbari loquuntur, actuari ? Notorium est, simplicia pharmaca tantum ḥy. Suváper, non actu corpus nostrum

strum immutare: quoniam facultas eorū intus condita & quasi sopita nondum ita exeritur, aut de-  
promit, ut primo quoque contactu agat. Opus  
igitur externo aliquo principio, quod vires illorum  
in actum ducat. Id vero calor noster est, qui me-  
dicamenta subigendo, comminuendo, & dissolven-  
do illorum vires detegit & explicat. Insunt quidē  
simplicibus sue qualitates actu: verūm actu eas  
minime expromunt: quoniam in iis, utpote corpori-  
bus mixtis, sic comparatum est, ut una qualitas ab  
altera, que illi contraria, obscuretur, & velut ab-  
scondatur. Ast cùm à calore subiguntur, qualitates  
à se invicem separantur, sitque evidenter & sensi-  
bilius ea, quæ in mixtura pradominatur.

### III.

Utrum omnia, quæ corpus nostrum alte-  
rant atque immutant, lī ðurōne definiantur, &  
tantum potestate, non actu, nos alterent?  
Negatur. Nam potestate solum, non actu nos al-  
terant corpora mixta. Ideoque actuante princi-  
pio opus habent, quod est calor noster nativus. At  
simplicia corpora, cuiusmodi sunt sidera cœli & ele-  
menta, actu nos immutant, & primo quoque con-  
tractu: quia vires eorum sui juris sunt, nec ita ab-  
sconditæ, ut ullius externi subsidij ope indigeant.

### IV.

An non etiam mixta quedam actu nos alte-  
rent: cùm sciamus, ferrum candens, oleum  
fervens, spongias aqua imbutas &c. actu nos  
immu-

immutare? Respondetur, corporæ ista actu quidem alterare, at non propria & insita virtute, sed aliena & ascititia, eaque ab iis, quæ actu agunt, accepta.

V.

Nunquid omnia in universum medicamenta rectè à Galeno dicantur ἀλλοιωτικὰ τῆς φύσεως ιμάντα, naturam nostram alterare, cùm tamen plurima etiam vacuent? Arbitramur rectissimè! Primum, quia etiam vacuantia vim alterandi habent, ob qualitates, quibus sunt praedita. Deinde, quoniam ex statu præter naturali ad statum naturale agrotantia corpora transferunt. At qui hoc est alterare. Tertio, quia licet scopus eorum per se non sit alteratio: per accidens tamen, & per necessariam quandam consequentiam alterant: quoniam alteratio & immutatio corporis consequitur, vacuatis iis, quæ sunt noxia.

VI.

Num Galenus alimenta benè definiat, quando dicit, illa esse ἀυξητικὰ τῆς ζοίας ιμάντα, augere substantiam corporis nostri, cùm tamen hoc non in quavis ætate faciant? Verum equidem est, alimenta à Viris & Senibus assumi, neque tamen inde augeri. Videri ergo, rectius dici conservativa, quam augmentativa. Conservant enim omnes: at non omnes augent. Sed defendi potest Galenus, si dicatur, usurpare illum vocem ἀυξάνειν, augeri, ea in significatione, in qua illam

Hippo-

Hippocrates sumfit aphor 19. sect. 6. ubi scriptum reliquit, spermaticas partes, ut ossa, cartilaginea, nervos &c. abscissas aut dissectas, neque  
auξεδεῖ, augeri, neque συμφύεται, coalescere. Galenus in commentario dicit, Hippocratem per τὸ  
αὐξεδεῖ, augeri, intelligere τὸ γεννᾶσθαι τινα ἐπέραν  
στίαν τοιαύτην, οἷα τῆς διακοπής ἐστι, generari  
talem aliquam substantiam, qualis est amputata.  
Cùm igitur omne alimentum reparet id, quod est in  
corpore deperditum, rectè αὐξητικὸν, h. e. γεννητικὸν  
statuitur. Nutritio enim particularis quedam  
est generatio. Posset forsitan etiam respon-  
deri, alimentum αὐξητικὸν propterea dici, ut in-  
audiatur quoq; τὸ θρεπτικὸν. Quod enim auget,  
eīnī necessariō etiam nutrit. Ideoque, si ponatur  
posteriorius, necessariō presupponitur prius: hoc  
quidem in definitione alimenti tacitē & impli-  
citē: illud autem actu & implicitē.

## VII.

An non etiam alimenta definiri possint  
ἀλλοιωλικὰ τῆς στίας οὐ μόνον, cùm omnia suis in-  
structa sint qualitatibus, quæ vim alterandi  
habent? Que alimenta non simpliciter alimen-  
ta, sed medicamentosa alimenta vocantur,  
perinde, ut medicamenta, vim alterandi obti-  
nent. At quæ verè alimenta sunt, & alimen-  
ta tantū, alterare non dicuntur, sed reparare  
& instaurare id, quod est à calore nostro con-  
sumptum. Licet autem paucissima hujus generis  
alimen-

alimenta sint : plurima contrà medicamentosa ali-  
menta, quæ præter vim alendi etiam vim alte-  
randi possident : non tamen per alterationem de-  
finiri debent : quoniam hic non illorum finis est, ut  
alterent, sed ut sarciant eam partium substanc-  
tiam, quam partes miserunt. Æstimantur igitur  
alimenta à fine & ab hoc etiam definiuntur.

### VIII.

An elementa in albo medicamentorum  
contineantur? Omnia : sed non eorum, quæ po-  
restate, verùm illorum, quæ actu agunt. Ignis  
enim & ignita omnia, quæ refrigerata & hume-  
rata sunt, calefaciunt & siccant : putredinem  
partium arcent: aīμορφα, iāv, inducta crusta, velut  
operculo, fistunt : fonticulos parant, & ad wag-  
nēles iv faciendam apta sunt. Aér topicum est  
universale, si morbo sit contrarius. Hinc Hipp.  
aph. 45. sect. 2. pueros epilepticos mutatione aetatis,  
victus, & regionis restitui posse asserit. Et l. 6.  
epid. sect. 5. in morbis chronicis solum esse verten-  
dum monet. Et Galen. l. 5. m. m. c. 12. phthisicos,  
qui Romæ degebant, ad Tabias, locum montanum  
& siccum, ablegabat. Aqua frigida in febribus  
ardentibus & synochis, tūm putridis, tūm non pu-  
tridis, in intemperie calida & sicca, præsidium est  
singulare. Terra & corpore suo in materiam me-  
dicinalem abit: & intra viscera sua plurima me-  
dicamenta producit: & extra illa multa corpora  
fovet atque sustentat, quib. ad morborum profla-  
gationem salubriter utimur.

F I N I S.



2d 2663

ULB Halle  
006 549 195

3



WCM M





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ATIO  
CIUM  
NTORUM  
TIBUS

mena quadam  
rundem medica-  
ultatibus:  
ria in inclyta Ar-  
Universitate  
ita

SEBIZIO,  
PROFESSORE  
Palatino Cæsa-  
Archiatro:  
nte  
ren / S E B U.  
S I.  
ORATI,  
DI WELPERI.  
XLVI.